

quitur: unde dicitur: *Iesus autem convocatis discipulis suis dixit, Misit turbas.* Hoc autem facit ut magistris exemplum tribuat, cum minoribus atque discipulis communicandi consilia, vel (1) ut ex confabulatione intelligant signi magnitudinem. *Chrysostramus* (hom. 34. circ. princ.) Turbas enim cum ad satisfactionem venissent, non audebant petere panes: unde ipse amator hominum, & omnium curam gerens, equam non petentibus dat: propter quod dicit, *Misit turbas.* Ne autem dicatur, quoniam venientes viaticum portaverant, dicit: *Quia tri-duo jam perseverant macum, & non habent quod manducent.* Etsi enim quando venerunt, cibos habuerunt, tamen iam consumpti erant: & propter hoc non in prima, aut secunda die hoc fecit, sed in tertia, quando iam omnia erant consumpta: ut prius ipsi in necessitate constituti, cum ampliori desiderio susceperent quod fiebat. *Monstrat* autem & quod de longe venerant, & nihil eis reliquum fuerat, in hoc quod dicit: *Et dimittere eos iugulos nolo, ne deficiant in via.* Cum autem nolit eos jejunos dimittere, ideo tamen non statim signum facit, ut ex hac interrogatione, & responsione attentiores discipulos faciat, & fidem suam ostendant, dicentes, *Hæc panes.* Et quamvis Christus plurima fecerit, ut miracula prius facti recordarentur, quia fecit eos ministrros, & partiti sunt copiosos: adhuc tamen imperfectus dispositi erant: quod patet per hoc quod sequitur: *Et dicunt ei discipuli: Unde ergo nobis in deserto panes tantos ut satiemus turbam tantam?* Ipsi quidem infirma cogitatione hoc dixerunt: per hoc tamen miraculum futurum inspicabile facientes: ne aliquis enim suspicaretur quod ab aliquo propinquo castello accepti sunt cibi, propter hoc miraculum istud in solitudine fit, multum à castellis distans. Ipse autem Christus, ut discipulorum erigat mentem, eos interrogat, ut ex modo interrogationis eos commemoret illorum quæ prius facta sunt: unde sequitur: *Et ait illis Iesus: Quor panes habetis? At illi dixerunt: Septem, & pisciculos paucos.* Non autem addunt: *Sed hæc quid sunt inter tantos?* sicut antea dixerant: jam enim paulatim profecerant, licet non totum apprehendatur ab eis. Admirare autem in Apostolis veritatis amorem, qualiter ipsi scribentes non occultant suos etiam magno defectus: non enim est quantalibet accusatio, parum ante tali signo facti confesum obliuisci. Admirare autem & aliam sapientiam eorum, qualiter ventrem superabant, non mul-

tam mensæ curam facientes: in eremo enim existentes, & per tres dies ibi morantes, solum septem panes ibi habebant. Alia vero similiter prioribus fecit: etenim recumbere eos fecit in terra, & in manibus discipulorum crescere panes: unde sequitur: *Et præcepit turbas ut discumberent super terram.* *Hieronymus* (super *Et dicunt ei discipuli.*) De hoc autem supra diximus, & eadem repetere oratio est: tantum in his quæ discrepant immogetur. *Chrysostramus* (hom. 34.) Finis autem utriusque miraculi non similis est: sequitur enim: *Et quod superfluum de fragmentis, tulerunt septem sporias plenas.* Erant autem qui manducaverant quatuor millia hominum, extra parvulos, & mulieres. Quare autem minores fuerunt reliquia in hoc miraculo quam in primo, etsi non tot fuerint qui comederunt? Aut igitur hoc est, quia spora copinis majores erant: aut (2) ut ex diversitate rememoratur & illius, & hujus miraculi: & propter hoc tunc quidem fecit copiosos reliquiarum numero aequales discipulis, nunc autem sporas panibus aequales. *Remigius*. In hac autem evangelica lectione consideranda est in Christo operatio divinitatis, & humanitatis: per hoc enim quod turbis miseretur, ostendit se humane fragilitatis affectionem habere: in eo vero quod panes multiplicavit, & turbas pavit, ostendit divinitatis operatio. Describitur ergo hic error Eutychetis, qui in Christo dicebat unam naturam. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 50.) Sane (3) non abs re est admonere in hoc miraculo, quod si aliquis Evangelistarum hoc dixisset, (4) qui de quinque panibus non dixisset, contrarius ceteris putaretur. Sed quia illi qui miraculum de septem panibus narraverunt, nec illud de quinque tacerunt; neminem movet, & utrumque factum homines intelligunt. Hoc ideo diximus, ut sibi simile reperitur factum à Domino, quod in aliquo alteri alteri Evangeliste ita repugnare videatur ut omnino solvi non possit; nihil aliud intelligatur quam utrumque factum esse, & aliud ab alio commemoratum. *Glossa*. (a) (interlinearis). Notandum autem, quod prius Dominus auferet debilitates, & postea cibatur: quia prius sunt removenda peccata, & postea anima verbis Dei nutrienda. *Hilarius* (can. 15. in Matth. circ. fin.) Sicut autem illa turba quam prius pavit, Judaice credentium convenit plebi; ita hæc populo Gentium comparatur. Quod vero quatuor millia virorum congregantur, multitudo innumerabilium ex quatuor orbis partibus intelligitur.

(1) *Al. omittitur ut.* (2) *Al. hic quoque dicitur.* (3) *Al. ut abs re est &c.* (4) *In Veneta Nicolai editionis anni 1593. omittitur qui de quinque panibus non dixisset.*
 Ex edit. P. Nicolai. (a) Quod subjungitur ex Glossa non est in Glossa, quæ nunc extat, sed in Anselmo.

tur. *Hieronymus* (parum ante finem Com. in cap. 15.) Ipsi etiam non sunt quinque millia, sed quatuor millia; qui numerus semper in laudibus ponitur: & quadrangulus lapis non fluctuat, non est instabilis: & ob hanc causam etiam Evangelia in hoc numero consecrata sunt. In superiori ergo signo, quia propinqui erant, & vicini quinque sensuum, non ipse Dominus eorum recordatur, sed discipuli; hic autem ipse Dominus misereri se dicit eorum, quia tri-duo jam perseverant cum eo: quia scilicet Patri, Filio, Spirituique Sancto credebant. *Hilarius* (can. 15. in Matth. à med.) Vel quia omne passionis dominicæ tempus cum Domino agunt: sive quia venturi ad baptismum consentunt se credere in passionem, ac resurrectionem ejus: sive quia toto passionis dominicæ tempore jeuniis Domino quadam compulsionis societate junguntur. *Rabbanus* (super *Quia jam tri-duo.*) Vel hoc dicitur, quia in toto sæculo (1) triplex tempus est quo gratia datur: primum ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia: quartum est in cælo: ad quod tendens reficitur in via. *Remigius*. Vel quia peccata commissa per poenitentiam corrigentes, cogitatione, (2) locutione, & opere convertuntur ad Dominum. Has turbas noluit Dominus dimittere jejunos, ne deficerent in via: quia peccatores per poenitentiam conversi, in cursu labentis sæculi pereunt, si absque sacra doctrina pabulo dimittantur. *Glossa*. Septem panes sunt Scriptura novi testamenti, in quo gratia Spiritus Sancti & revelatur, & datur: neque sunt hordeacei, ut supra, quia non hic, ut in lege, vitale alimentum figuris quasi tenacissima palea tegitur: hic non duo pisces, ut in lege duo (3) ungebantur, scilicet Rex, & Sacerdos; sed pauci, id est sancti novi testamenti, qui de fluctibus sæculi erepti, & sustinent turbulentum mare, & exemplo suo nos reficiunt, ne in via deficiamus. *Hilarius*

(can. 15. parum ante finem.) Turbas autem in terra recumbunt: nullis enim legis operibus fuerant ante (4) substractæ: sed peccatorum, & corporum suorum (5) inhærebant. *Glossa* (ordinaria super illud, *Septem sporias.*) Vel ibi super fenem, ut desideria carnis comprimantur; hic super terram, ubi & ipse mundus relinquatur præcipitur. Vel mons in quo Dominus reficit, est altitudo Christi: ibi ergo fenem super terram, (6) quia ibi celsitudo Christi, propter carnales, carnali spe, & desiderio tegitur; hic remota omni cupiditate carnali, convivas novi testamenti spe permanentes solidatoque continet: ibi quinque millia, qui carnales quinque sensibus subditi; hic quatuor propter quatuor virtutes, quibus spiritualiter muniantur, temperantiam, prudentiam, fortitudinem, & justitiam: quarum prima est cognitio rerum appetendarum, & vitandarum; secunda refrenatio cupiditatis ab his quæ temporaliter delectant; tertia firmitas contra molesta sæculi, quarta, quæ per omnes diffunditur, dilectio Dei, & proximi: & ibi, & hic mulieres, & pa-vuli excepti sunt: quia in veteri, & novo testamento non admittuntur ad Dominum qui non perdurant occurrere in virum perfectum, vel infirmitate virum, vel levitate mentis. Utraque refectio in monte celebrata est, quia utriusque testamenti Scriptura & altitudinem cælestium præceptorum mandat, (7) & præmium. Utraque altitudinem Christi prædicat. Altiora mysteria, quæ non capit communis turba, Apostoli sufferunt, & implent, scilicet perfectorum corda septiciformis Spiritus gratia ad intelligentiam illustrata. Sportæ junco, & foliis palmarum solent contexti; & implent, scilicet sanctos, qui radicem cordis in ipso fonte collocant, ne arescant ut juncus in aqua, & palmam æternæ retributionis in corde retinent.

(1) *Al. tertium.* (2) *Al. omittitur locutione.* (3) *Al. ungebantur.* (4) *Al. substractæ.* (5) *P. Nicolai opponit origini.* (6) *Al. quia ibi est celsitudo Christi.* (7) *P. Nicolaius habet & præmiorum.*

CAPUT XVI.

(a) **ET** dimissa turba, ascendit in naviculam, & venit in fines Magedan. Et accesserunt ad eum pharisæi, & sadducæi tentantes, & rogaverunt eum ut signum de cælo ostenderet eis. At ille respondens ait illis: Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim cælum; & mane: Hodie tempestas, rutilat enim triste cælum. Faciem ergo cæli dijudicare nōtis; signa autem temporum non potestis. Generatio mala, & adultera signum quærit; & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophete. Et relicta illis, abiit.

(b) Et cum venissent discipuli ejus trans fretum, oblitii sunt panes accipere. Qui dixit illis:

illis: Intuemini, & cavete à fermento pharisæorum, & sadducæorum. At illi cogitabant inter se, dicebant: Quia panes non accepimus. Sciens autem Jesus dixit eis: Quid cogitatis inter vos modica fidei, quia panes non habetis? Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum, & quinque millium hominum, & quot cophinos fumpistis? Neque septem panum, & quatuor millium hominum, & quot sportas fumpistis? Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis: Cavete à fermento pharisæorum, & sadducæorum? Tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum à fermento panum, sed à doctrina pharisæorum, & sadducæorum.

(c) Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi; & interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Ellam, alii vero Hieremiam, aut unum ex Prophetis. Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es Simon Barjona: quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalent adversus eam. Et tibi dabo claves regni cælorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.

(d) Tunc præcepit discipulis suis ut nemini dicerent, quia ipse esset Jesus Christus. Exinde cœpit Jesus ostendere discipulis suis quia oportet eum ire Hierosolimam, & multa pati à senioribus, & scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.

(e) Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens: Absit à te, Domine; non erit tibi hoc. Qui conversus dixit Petro: Vade post me satana: scandalum es mihi, quia non lapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.

(f) Tunc Jesus dixit discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdidit animam suam propter me, inveniet eam.

(g) Quid enim prodest homini, si mundum universum lucratur, animæ vero suæ detrimentum patiar? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis; & tunc reddet unicuique secundum opera ejus. Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.

(a) **C**hrysoström (hom. 54.) Sicut post miraculum quinque panum, Dominus turbas dimisit, ita & nunc: nec autem pedibus recedit, sed navigio, ne turba eum sequatur: unde dicitur: *Et dimissa turba, ascendit in naviculam, & venit in fines Magedan.* Augustinus de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 51.) Marcus autem dicit, quod in Dalmanutha: nec est dubitandum eundem locum esse sub utroque nomine: nam plerique codices non habent, etiam secundum Marcum, nisi Magedan. Rabbanus. Est autem Magedan regio contra Gerasam, & interpretatur poma, vel nuntia; & significat ortum, de quo dicitur Cant. 4. „ Hortus conclusus, fons signatus: “ in quo crescant poma virtutum, & ubi nuntiat nomen Domini. Docet autem, quod prædicatores, ministrato verbo turbæ, ipsi intra cubiculum cordis virtutum pomis debent refici. Sequitur: *Et accesserunt ad eum pharisæi, & sadducæi tentantes; & rogaverunt eum ut signum de celo ostenderet eis.* Remigius. Admiranda quippe est cæcitas pharisæorum, & sadducæorum: sic enim postulabant signum de celo, quasi ea non

noscere Salvatoris adventum. Augustinus de Quæst. Evang. (Lib. 1. cap. 20.) Potest etiam intelligi quod dixit Dominus: *Facto vespere dicitis: Serenum erit, etenim rubicundum est Cælum;* idest sanguine passionis Christi, primo adventu indulgentia peccatorum datur. *Et mane: Hodie tempestas, rubet enim cum tristitia Cælum;* illud est quod secundo adventu igne præcedente venturus est. *Glossa (ordinaria.)* Vel aliter. *Rutilat triste Cælum;* idest, patiuntur Apostoli post resurrectionem: post quos me judicare in futuro scire potestis: quia cum non parco meis bonis quin patiantur, non parco aliis in futuro. *Faciem ergo Cæli judicare nostis; signa autem temporum non potestis.* (a) Signa temporum dixit de adventu suo, vel passione, cui simile est roseum Cælum vespere; & idem de tribulatione, ante adventum suum futura, cui simile est mane roseum cum tristitia Cælum. *Chrysoström* (hom. 54. in Matth.) Sicut ergo in Cælo aliud quidem est signum serenitatis, aliud pluvie; ita & in me putare oportet: nunc enim, scilicet in primo adventu, his signis quæ in terra sunt, opus est; quæ autem in Cælo sunt, conservantur temporis secundi adventus. Nunc enim sicut medicus veni, tunc sicut iudex adero: propter hoc nunc occultus veni, tunc autem cum multa divulgatione quando virtutes cælorum movebuntur. Sed non est nunc tempus horum signorum: quia veni mori, & quæ abjecta sunt pati: & ideo sequitur: *Generatio mala, & adultera signum querit; & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ.* Augustinus de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 51.) Hoc autem & alibi jam dixit Matthæus: unde retinendum est, eadem Dominum sæpe dixisse, ut quod existente contrario solvi non poterit, his dictum intelligatur. *Glossa (interlinearis.)* Dicit autem: *Generatio mala, & adultera;* idest incredula, pro spirituali carneum habens intellectum. *Rabbanus.* Non ergo generationi illi tentantium Dominum signum cælestis datur, quale quærebant, quibus multa signa dedit in terra; sed generationi querentium Dominum, idest Apostolis, quibus cementibus, ascendit in Cælum, & Spiritum Sanctum misit. *Hieronymus (super Et relicti.)* Quid autem sibi velit signum Jonæ, jam supra dictum est. *Chrysoström* (ut supra.) Cum autem hoc pharisæi audissent, oportebat interrogare, & dicere: Quid est quod dicitur? Sed ipsi non desiderio discendi, hoc à Domino quæsierunt; & ideo Dominus eos relinquit: unde sequitur: *Et re-*

licti illis, abiit. Rabbanus. Idest, relicta generatione mala Judæorum, abiit transiitum, & Gentium secutus est populus. Nota, quod non, sicut in aliis legitur locis, dimisisit turbas abiit; sed quia infidelitatis error insolentium animos obtinebat, dicitur quod eos relinquit.

(b) *Glossa (b)* Sicut Dominus pharisæos reliquerat propter eorum infidelitatem, ita consequenter & doctrinam eorum à discipulis cavendam esse docet: unde sequitur: *Et cum venissent discipuli ejus trans fretum, oblitii sunt accipere panes.* Remigius. Tanto enim amore magistri decinebantur ut nec etiam ad punctum vellent ab eo recedere. Animadvertendum est ergo quantum alieni essent ab appetitu deliciarum, cum tam parvam haberent de necessariis curam ut etiam oblitii sint panes accipere, sine quibus humana fragilitas subsistere non potest.

Sequitur: *Qui dixit illis: Intuemini, & cavete à fermento pharisæorum, & sadducæorum.* Hilarius (can. 16. inter med. & fin.) In quo monentur Apostoli non admisceri Judæorum doctrinæ: quia legis opera in effectum fidei, & præfigurationem rerum consequentium constituta sunt; & in quorum tempora, atque ætatem veritas contigisset, nihil ultra in veritatis similitudinem positum arbitrentur: ne doctrina pharisæorum Christum nesciens, effectum evangelicæ veritatis rumpet. *Hieronymus (super Qui dixit illis, Intuemini.)* Qui enim cavet à fermento pharisæorum, & sadducæorum, legis, ac litteræ præcepta non servat, traditiones hominum negligit, ut faciat Dei mandata. Hoc est fermentum de quo Apostolus ait 1. Cor. 5. „ Modicum fermentum totam massam „ corrumpit. “ Istiusmodi fermentum etiam omni ratione vitandum est, quod habuit Marcion, Valentinus, & omnes hæretici. Fermentum enim hanc habet vim ut si farinæ mixtum fuerit, quod parum videbatur, crescat in majus, & ad saporem suum universam conspersionem trahat: ita & doctrina hæretica, si vel modicam scintillam jecerit in tuum pectus, in brevi ingens flamma concrevit, & totam hominis passionem ad se trahit. *Chrysoström* (hom. 54.) quare non dixit: Attendite à doctrina pharisæorum manifeste? Quia vult commemorare ea quæ facta sunt, scilicet de multiplicatione panum: etenim noverat eos esse oblitos. Simpliciter autem de hoc eos inculcare non videtur rationem habere; occasione autem ab eis recepta eos increpare, susceptibilem faciebat incusationem; & ideo quæ cogitabant discipuli, Evan-

S. Thom. Op. Tom. VIII. Ex edit. P. NICOL. (a) *Rabbanus.* Hæc editiones aliæ sub eodem indice cum prædictis confundunt, & Rabbanus nomine prætermisso, Glossæ tribuunt. (b) Nec in Glossa quæ nunc est, nec in Anselmo reperitur, nec alibi occurrit.

gelista in medium introducit, dicens, *At illi cogitabant intra se dicentes: Quia panes non accipimus. Hieronymus (super illud, Quid cogitatis?)* Quomodo autem panes non habebant qui statim impletis septem sportis, ascenderunt in naviculam, & venerunt in fines Magedan? (1) Ibi audiunt navigantes quod cavere debeant à fermento pharisæorum, & sadducæorum. Sed Scriptura testatur, quod oblii sunt eos secum tollere. *Chrysofomus (hom. 54.)* Quia vero discipuli circa observationibus judaicis adhuc reprobant, ideo Dominus vehementer eos increpat ad utilitatem omnium: unde sequitur: *Sciens autem Jesus, dixit eis: Quid cogitatis inter vos, modice fidei, quia panes non habetis? Glossa (ordinaria.)* Quasi dicat: Quid cogitatis me dixisse de terrenis panibus, de quibus non est vobis dubitandum, cum de tam paucis tantas feci abundare reliquias? *Chrysofomus (hom. 54.)* Hoc autem facit, ut solitudinem eucarum ab eis abiciat. Sed quare non arguit eos, cum dixerunt: *Unde nobis in solitudine panes tanti:* etenim opportunus videbatur hoc dici? Sed ideo tunc non reprehendit eos, ne videretur se ingerere ad signa facienda, & nolebat ante turbas eos increpare. Tunc (2) etiam rationabilior hæc accusatio fuit quando jam duplici miraculo de panibus facto tales erant ut adhuc de eis dubitarent. Vide autem & increpationem cum mansuetudine: verum enim excusando respondet, pro his quos increpaverat dicens: *Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum? Glossa (interlinearis.)* Quasi dicat: Neque mysterium intelligitis, neque virtutem in memoria habetis. *Chrysofomus (hom. 54.)* Per quod in memoriam (3) eis reducit ea quæ præterierunt, & ad futura attentiores facit. *Hieronymus (super illud, Sciens Jesus dixit.)* Per hoc autem quod dicit: *Quare non intelligitis?* ecce per occasionem docet eos quid significant quinque panes, & septem, quinque millia hominum, & quatuor millia, quæ pasta sunt in eremo. Si enim fermentum pharisæorum, & sadducæorum non corporalem panem, sed traditiones perverfas, & hæretica significant dogmata; quare cibi, quibus nutritus est populus Dei, non veram doctrinam integramque significant? *Chrysofomus*

(1) *Al. P. Nicolajus habet ibique.* (2) *Al. enim.* (3) *Al. eos reducit ad ea.* (4) *Al. interpretatio.* (5) *Al. respiciant.* (6) *P. Nicolai legit Herodis, Tetrarcha, &c.* (7) *Al. deest Apostolorum.*
 Ex EDIT. P. NICOL. (a) Nec in Glossa quæ nunc est, nec in Anselmo extat, ut nec alibi apud Interpretes occurrit. (b) *Rabbanus.* Eius nomine prætermisso, prius cum dictis Chrysofomi confundebatur hæc appendix. (c) Quod hic Origenes nomine discipulis Episcoporum subjungitur, non habet Origenes, qui solum ait: *Discipulos Jesu curiosos esse debere de his quæ de illo dicuntur:* nec alibi occurrit.

(hom. 54.) Ut autem discas quantum in discipulis potuit (4) increpatio Christi, & qualiter eorum mentem erexit dormientem, audi quid Evangelista dicit: *Tunc intellexerunt quod non dixit cavendum à fermento panum, sed à doctrina pharisæorum, & sadducæorum;* quamvis eo hoc non interpretante. Interpretatio ergo Domini eos à judaicis observationibus abduxit, desides existentes, attentiores fecit, & à parva fide eos eripuit, ut non timeant, si quando paucos panes habere videantur, neque pro pane solliciti sint, sed hæc (5) despiciant universa.

(c) *Glossa (a)* Postquam discipulos à pharisæorum doctrina removerat Dominus, convenienter evangelicæ doctrinæ altitudinem in eis fundat: & ut major solemnitas designetur, locus describitur cum dicitur: *Venit autem Jesus in partes Cæsariæ Philippi.* *Chrysofomus (hom. 55.)* Ideo autem non simpliciter Cæsariam nominat, sed Cæsariam Philippi, quia est & alia Cæsaria, quæ est Stratonis; non autem in illa, sed in hac discipulos interrogavit, longe eos à Judæis abducens, ut ab omni timore eruti, libere dicant quæ habebant in mente. (b) *Philippus autem iste, frater fuit (6) Herodis Tetrarchæ Ithureæ, & Tracitonidis regionis, quæ in honorem Tiberii Cæsaris Cæsariam Philippi, quæ nunc Paneas dicitur, appellavit. Glossa (ordinaria.)* Confirmatur autem in fide discipulos, prius opiniones, & errores aliorum à mentibus eorum voluit remove: unde sequitur: *Et interrogavit discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? Origenes (c) (in Comm. Matth. tractatu ex his quos nunc habemus 1.)* Interrogat Christus discipulos, ut ex Apostolorum responsionibus nos discamus diversas opiniones fuisse tunc apud Judæos de Christo; & ut nos semper seruetur qualis opinio sit apud homines de nobis: ut si quid male dicitur de nobis, occasiones illius præcidamus; si quid autem boni, ejus occasiones augeamus. Sed & discipuli Episcoporum, (7) Apostolorum instruuntur exemplo, ut qualescunque opiniones audierint foris de Episcopis suis, referant eis. *Hieronymus (super Et interrogabat discipulos.)* Pulchre autem interrogat: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Quia

qui de Filio hominis loquuntur, homines sunt; qui vero divinitatem ejus intelligunt, non homines, sed dii appellantur. *Chrysofomus (hom. 55. par. à princ.)* Non autem dicit: *Quem me dicunt scribere, & pharisæi esse?* sed: *Quem me dicunt homines esse?* plebis mentem, quæ ad malum inflexa non erat, investigans. Etsi enim multo humilior quam oportebat eorum erat de Christo opinio, sed tamen à nequitia libera erat, pharisæorum autem opinio de Christo erat plena multa malitia. *Hilarius (can. 16.)* Dicendo ergo: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* significavit, præter id quod in se videbatur, esse aliud sentiendum, erat enim hominis Filius. Quod igitur de se opinandi iudicium desiderabat, non illud arbitramur quod se ipse confessus est; sed occultum erat de quo quærebatur, in quod se credentium fides debeat extendere. Etsi autem hæc confessionis tenenda ratio, ut situr Dei Filium, ita & Filium hominis meminimus: quia alterum sine altero nihil spei tribuit ad salutem: & ideo signanter dicit: *Quem dicunt homines esse Filium hominis? Hieronymus (loc. cit.)* Non enim dixit: *Quem me esse dicunt homines;* sed, *Quem dicunt esse Filium hominis?* ne jactanter de se quærere videretur. Et nota, quod ubicumque in veteri Testamento scriptum est, *Filius hominis,* in Hebræo positum est, *Filius Adam.* *Origenes (ut supra.)* Diversas autem Judæorum opiniones de Christo discipuli referunt: unde dicitur: *At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, æstimationem scilicet secuti Herodis; alii autem Eliam, videlicet æstimates, quod aut secundam natiuitatem suscepit Elias, aut ex eo tempore in corpore vivens, in tempore apparuit illo; alii vero Hieremiam, quem Dominus in Gentibus Prophetam constituit, non intelligentes quoniam Hieremias typus fuerat Christi; aut unum ex Prophetis, ratione simili, propter illa quæ Deus ad ipsos locutus est per Prophetas; non tamen in ipsis, sed (1) in Christo sunt impleta. Hieronymus (super At illi dixerunt.)* Sed tamen turbæ sic errare potuerunt in Elia, & Hieremia, quomodo Herodes erravit in Joanne: unde miror quosdam Interpretes causas errorum inquirere singulorum. *Chrysofomus (hom. 55. in Matth.)* Quia vero discipuli opinionem turbæ recitaverant, evocat eos per secundam interrogationem ad opinandum aliquid majus de ipso: & ideo sequitur: *Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis?* (2) Vos, inquam, qui simul mecum estis semper, quia majora signa vidistis quam turbæ, non oportet vos in opinione convenire cum turbis: & propter hoc non à

principio predicationis eos de hoc interrogavit, sed postquam multa signa fecit, & multa locutus est eis de sua deitate. *Hieronymus (super Vos autem quem me esse dicitis?)* Attende autem, quod ex hoc textu sermonis Apostoli nequam homines, sed dii appellantur: cum enim dixisset: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* subiecit: *Vos autem quem me esse dicitis?* Ac si dicat: *Illis, quia homines sunt, humana opinantibus, vos, qui dii estis, quem me esse existimatis? Rabbanus (ibidem.)* Non autem quasi nesciens, de se sententiam discipulorum, vel extraneorum inquirat; sed ideo discipulos quid de se sentiant interrogat, ut confessionem rectæ fidei, digna mercede remuneret. Ideo quid alii de se sentiant inquirat, ut expositis primo sententis errantium, discipuli probarentur veritatem suæ confessionis non de opinione vulgata, sed de ipso percepisse dominicæ revelationis arcano. *Chrysofomus (hom. 55.)* Quando vero Dominus de plebis opinione interrogat, omnes respondent; sed omnibus discipulis interrogatis, Petrus tamquam os Apostolorum, & caput, pro omnibus respondet: unde sequitur: *Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Origenes (in Commentariis super capitulum Matth. 16. tract. 1.)* Denegavit quidem Petrus aliquid eorum esse Jesum, quæ arbitrabantur Judæi, confessus est autem: *Tu es Christus,* quod nesciebant Judæi; sed & quæ majus est, *Filius Dei vivi,* qui & per Prophetas dixerat: *Vivo ego, dicit Dominus: & ideo dicebatur vivus, sed secundum supereminentiam, quia supereminet omnibus habentibus vitam: quoniam solus habet immortalitatem, & est fons vitæ, quod proprie dicitur Deus Pater; vita autem est quasi de fonte procedens, qui dixit (Joann. 14.)*, *Ego sum vita.* *Hieronymus (ut supra.)* Deum etiam vivum appellat, ad comparationem eorum deorum qui putantur dii, sed mortui sunt. Saturnum dico, Jovem, Venerem, & Herculem, & cætera idolorum portenta. *Hilarius (can. 16. in Matth.)* Etsi autem hæc vera, & inviolabilis fides, ex Deo Deum Filium profectum esse, cui sit ex æternitate Patris æternitas. Hunc igitur assumpsisse corpus, & hominem factum esse, perfecta confessio est. Complexus est itaque omnia qui & naturam, & nomen expressit: in quo summa virtutum est. *Rabbanus (super Tu es Christus Filius Dei vivi.)* Mira autem distinctione factum est ut Dominus ipse humilitatem assumptionis humanitatis profiteretur, discipulus excellentiam divinæ æternitatis ostendat. *Hilarius (can. 16. in Matth. par. à med.)* Dignum autem con-

(1) *Al. in ipso.* (2) *Al. Vos autem, inquam, &c.*

fectio Petri præmium consecuta est, quia Dei Filium in homine vidisset: unde sequitur: *Respondens autem Jesus dixit eis: Beatus est Simon Barjona; quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui est in Cælis. Hieronymus* (super illud, *Tu es Petrus.*) Reddit enim Christus Apostolo vicem pro testimonio quod de se Petrus dixerat: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Dominus autem dixit ei: *Beatus es Simon Barjona.* Quare? Quia non revelavit tibi caro, & sanguis; sed revelavit Pater. Quod caro, & sanguis revelare non potuit, Spiritus Sancti gratia revelatum est. Ergo ex confessione sortitur vocabulum, quod revelationem ex Spiritu Sancto habeat, cuius & filius appellandus est: siquidem Barjona in lingua nostra sonat Filius columbæ. Alii simpliciter accipiunt, quod Simon, scilicet Petrus, filius sit Joannis, juxta alterius loci interrogationem, Joann. 20., Si, mon Joannis, diligis me? & volunt scriptorum vitio depravatum, ut pro (1) *Barjoanna*, idest filius Joannis, *Barjona* scriptum sit, una detracta syllaba; Joana vero interpretatur Dei gratia. Utrumque autem nomen mystice intelligi potest: quod & columba Spiritum Sanctum & gratia Dei donum significet spiritale. *Chrysostramus* (hom. 55. in Matth.) Vanum (2) est enim dicere: Tu es filius Jonæ, vel Joanna, nisi ut ostendat quoniam ita naturaliter est Christus Filius Dei, sicut Petrus filius Jonæ, ejusdem substantiæ cum eo qui genuit. *Hieronymus* (super *Respondens Jesus ait illi.*) Illud autem quod ait: *Quia caro, & sanguis non revelabit tibi*, apostolicæ narrationi comparat, in qua ait (Galat. 1.) „ Continuo non acquievi carni, & sanguini: „ carnem ibi, & sanguinem Judæos significans, ut hic quoque sub alio sensu demonstraret, quod ei non per doctrinam pharisæorum, sed per Dei gratiam Christus Dei Filius revelatus sit. *Hilarius* (can. 16. in Matth. à med.) Vel aliter. Beatus hic, quia ultra humanos oculos, & intendisse, & vidisse laudatus est, non id quod ex carne, & sanguine est (3) contentus, sed Dei Filium cælestis Patris revelatione conspicens; dignusque iudicatus est ut primus agnosceret quod divinitas esset in Christo. *Origenes* (tract. 1. in 16. cap. Matth. à medio.) Est autem in hoc loco querendum utrum cum prius mitterentur, jam cognoscebant discipuli quoniam ipse erat Christus. Hic sermo demonstrat, quoniam tunc prius confessus fuerit eum Petrus Christum Filium Dei vivi. (4) Et vide, si potest, hujusmodi questionem solvere, dicens, quoniam credere Jesum esse

Christum, minus esse quam cognoscere: ut dicamus, quod quodam mitebantur ad prædicandum, credebant quidem Jesum esse Christum, postea autem proficientes etiam cognoverunt. Aut ita esse respondendum ut dicamus, quoniam tunc quidem Apostoli initia cognitionis habebant Christi, & exigua cognoscebant de illo; postea autem profecerunt in agnitione ipsius, ut possent capere scientiam Christi revelatam à Patre, sicut & Petrus qui beatificatur, non solum in eo quod dicit: *Tu es Christus*, sed in eo magis quod addidit: *Filius Dei vivi.* *Chrysostramus* (hom. 55. in Matth. super illud, *Beatus.*) Nimirum autem, si non confessus esset Petrus Christum proprie ex Patre natum, non esset hic revelatioe opus; neque æstimare Christum unum ex multis filiis adoptivis, beatitudine dignum esset: nam & ante hoc illi qui erant in navi dixerant (supra 14.) *Vere Filius Dei est hic.* Sed & Nathanael dixit (Joann. 1.) „ Rabbi, tu es Filius Dei. „ Non tamen beati dicti sunt, quia non talem confessi sunt filiationem qualem Petrus; sed unum ex multis eum æstimabant, non vere filium; vel est præcipuum quidem præ multis, non autem ex substantia Patris. Vides autem qualiter & Filium revelat Pater, & Patrem Filium. Non enim ab alio est dicere Filium quam à Patre, nec ab alio Patrem quam à Filio: quare & hinc manifestum est quod Filius est substantialis, & coadorandus Patri. Ostendit autem Christus ex hinc jam multos credituros quod fuerat Petrus confessus: unde subdit: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus.* *Hieronymus* (super illud, *Et ego tibi dico.*) Ac si dicat: Quia tu mihi dixisti, *Tu es Christus Filius Dei vivi*; & ego dico tibi, non sermone casto, & nullum opus habentes; sed dico tibi (quia meum dixisse, fecisse est) quia tu es Petrus: sicut enim ipse lumen Apostolis donavit ut lumen mundi appellentur, & cætera quæ à Domino sortiti vocabula sunt; ita & Simoni qui credebatur in petram Christum, Petri largitus est nomen. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 53. à med.) Nullus tamen arbitretur quod hic Petrus nomen accepit: non enim accepit hoc nomen, nisi ubi Joannes (cap. 1.) commemorat ei dictum esse, „ Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur „ Petrus. „ *Hieronymus* (super *Quia tu es Petrus.*) Secundum autem metaphoram petræ, recte dicitur ei: *Ædificabo Ecclesiam meam* super te: & hoc est quod sequitur. *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* *Chrysostramus* (hom. 55.) Idem in hac fide, & confes-

io.
(1) *Al.* Barjona. (2) *Al.* Vanum autem esset dicere. (3) *Al.* contentus. (4) *In quatuor exemplis quæ supra retulimus legitur:* Et vide, si potes, quoniam credere, &c. intermediis omisiss.

sione ædificabo Ecclesiam meam. Hinc ostendit multos jam credituros quod Petrus confessus fuerat, & erigit ejus sensum, & pastorem ipsum facit. *Augustinus* in Lib. Retract. (Lib. 1. cap. 21.) Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo tanquam in petra ædificata est Ecclesia; sed scio me postea sepius sic exposuisse quod à Domino dictum est: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, ut super hunc intelligeretur quem confessus est Petrus dicens, *Tu es Christus Filius Dei vivi*; ac si Petrus ab hac petra appellatus, personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur: non enim dictum est illi, Tu es petra, sed *Tu es Petrus*: petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut (1) ei tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum quæ sit probabilior, eligat lector. *Hilarius* (can. 16. in Matth.) Est autem in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernales leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolveret: unde ad ostendam firmitatem Ecclesiæ supra petram fundata, subditur: *Et porta inferi non prævalebunt adversus eam.* *Glossa* (interlinearis hoc loco.) Idem, non separabunt eam à caritate mea, & fide. *Hieronymus* (super *Et porta inferi.*) Ego portas inferi, vitia reor, atque peccata; vel certe hæreticorum doctrinas, per quas illicet homines ducuntur ad tartarum. *Origenes* (super 16. Matth. tract. 1. ante med.) Sed & singule spirituales nequitiæ in cælestibus porte sunt inferorum, quibus contrariantur porte justitiæ. *Rabbanus.* Porte quoque inferi, etiam tormenta, & blandimenta sunt persecutorum; sed & prava infidelium opera, inepaque colloquia porte sunt inferi, quia iter perditionis ostendunt. *Origenes* (ubi supra.) Non autem exprimit utrum petre non prævalebunt in qua ædificat Christus Ecclesiam, aut Ecclesiæ quam ædificat supra petram; tamen manifestum est quia nec adversus petram, nec adversus Ecclesiam porte prævalent inferorum. *Cyillus* in Lib. Theofauri (a) (simile quippiam legitur in Epistola Marci Papæ, quæ habetur Conciliorum Tomi 1.) Secundum autem hanc Domini promissionem, Ecclesiæ Apostolica Petri ab omni seductione, hæreticaque circumventionem manet immaculata, super omnes præpositos, & Episcopos, & super omnes primates Ecclesiarum, & populorum in suis Pontificibus, in fide plenissimi.

S. Thom. Op. Tom. VIII.

(1) *Al.* eum. (2) *Al.* Ecclesiæ ejus, ut etiam &c.

EX EDIT. P. NICOL. (a) An mutata sint quadam quæ sensum turbent? Nec recurri ad fontem potest, cum in Libris Theofauri qui nunc exstant, nihil tale reperitur, seu Latine; seu Græce; adeoque aliquos excidisse conjectura sit, ut Bellarminus Tract. de Scrip. notat.

ma, & auctoritate Petri. Et cum alia Ecclesiæ, quorundam errore sint verecundate, stabilita iniquissimè ipsa sola regnat, silentium imponens, & omnium obturans ora hæreticorum: & nos necessario salatis, non decepti superbia, neque vino superbia inebriati, typum veritatis, & sanctæ apostolicæ traditionis, una cum ipsa confitemur, & prædicamus. *Hieronymus* (super *Et porta.*) Nemo autem putet hoc de morte dici, quod Apostoli conditioni mortis subiecti non fuerint, quorum martyria videtur constare. *Origenes* (Matth. 16. tract. 1.) Si ergo & nos, Patre nobis revelante, qui est in cælis, quando scilicet conversatio nostra in cælis est, confessi fuerimus Jesum Christum esse Filium Dei vivi; & nobis dicitur, Tu es Petrus: petra enim est omnis qui imitator est Christi. Adversus quem autem porte prævalent inferorum, ille neque petra dicendus est, supra quam ædificat Christus Ecclesiam, neque Ecclesiæ, neque pars Ecclesiæ, quam Christus ædificat supra petram. *Chrysostramus* (hom. 55.) Deinde & alium Petri dicit honorem, cum subditur: *Et tibi dabo claves regni cælorum*; quasi dicat: Sicut Pater tibi dedit me cognoscere, ita & ego tibi aliquid dabo, scilicet claves regni cælorum. *Rabbanus* (super *Et tibi dabo.*) Qui enim Regem cælorum majori præ ceteris devotione confessus est merito præ ceteris ipse collatis clavibus regni cælestis donatus est: ut constaret omnibus, quia absque ea confessione, ac fide regnum cælorum nullus posse intrare. Claves autem regni cælorum ipsam discretionem, & potentiam nominat: potentiam, qua liget, & solvat; discretionem, qua dignos, vel indignos discernat. *Glossa* (interlinearis.) Unde sequitur: *Et quæcumque ligaveris*; idest, quemcumque indignum remissione judicaveris dum vivit, indignus apud Deum judicabitur: & quodcumque solveris; idest, quemcumque solvendum judicaveris dum vivit, remissionem peccatorum consequetur à Deo. *Origenes* (Matth. 16. tract. 1.) Vide autem quantum potentiam habet petra, super quam ædificatur (2) Ecclesiæ, ut ejus etiam judicia maneant firma, quasi Deo judicante per eam. *Chrysostramus* (hom. 55.) Vide autem qualiter Christus reducit Petrum ad excellentiam de ipso intelligentiam. Hæc enim eise promittit daturum quæ sunt propria Dei solius, scilicet peccata solvere, & Ecclesiam immutabilem facere inter tot persecutionum, & tentationum procellas. *Rabbanus* (super *Et quæcumque*

V 3

liga-

ligaverit.) Hæc autem ligandi, atque solvendi potestas quamvis soli Petro data videatur à Domino, tamen & ceteris Apostolis datur, necnon etiam. nunc (1) in Episcopis, ac presbyteris omni Ecclesie. Sed ideo Petrus specialiter claves regni caelorum, & principatum iudicarie potestatis accepit, ut omnes per orbem credentes intelligant quia quicumque ab unitate fidei, vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec janua non possunt regni caelestis ingredi. *Glossa (a)*. Specialiter etiam eam Petro concessit, ut ad unitatem nos invitaret. Ideo enim eum principem Apostolorum constituit, ut Ecclesia unum principalem Christi haberet vicarium, ad quem diversa membra Ecclesie recurrerent, si forte inter se dissentirent. Quod si diversa capita essent in Ecclesia, unitatis vinculum rumpeteretur. Quidam autem dicunt, quod ideo dicit, *Super terram*: non enim data est potestas hominibus ligandi, vel solvendi mortuos, sed vivos. Qui autem mortuos solveret, vel ligaret, non super terram, sed post terram hoc faceret. *Ex Sententiis Constantin. Concilii (b)* (Constantin. Syn. 5.) Quomodo autem præsumunt quidam dicere de vivis tantummodo hæc dicta esse? An ignorant quia iudicium anathematis nihil est aliud quam separatio? Evitandi sunt autem illi qui perversis culpis detinentur, siye in vivis sint, siye non. Anocente enim semper (2) refugere necessarium est. Sed & Augustini religiose memorie, qui inter Africanos Episcopos splenduit, diverse Epistolæ recitatae sunt, significantes quod oporteret hæreticos & post mortem anathematizare. Talem autem ecclesiasticam traditionem & alii Africani Episcopi servaverunt. Sed & sancta Romana Ecclesia quosdam Episcopos post mortem anathematizavit, licet pro fide in vita sua non essent accusati. *Hieronymus* (super *Et tibi dabo claves regni*.) Iterum locum Episcopi, & presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de phariseorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur; cum apud Dominum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quaeratur. Legimus in Levitico de leprosis, ubi ju-

(1) *Al. omittitur in.* (2) *Al. resurgere.* (3) *Al. Est ergo.* (4) *Al. omnes enim species virtutis (item virtutum) cum quis eam ceperit operari quasi ipse se aperit ante eum. P. Nicolajus autem sic habet:* omnes enim species virtutum cum quis ceperit operari, quasi ipse sibi aperit portam regni caelorum, Domino videlicet &c.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Non est in Glossa quæ nunc extat, sed in Anselmo, apud quem tamen posterior appendix huic priori præmittitur. (b) Nempe 2. quod fuit 5. oecumenicum, ubi hæc in 8. collat. sparsim insinuantur, ut & in his quæ sequuntur ibid. velut 5. Synodi appendices. Refertur autem saltem quadam ex parte in Decretis causa 24. quæst. 2. cap. *Sane profertur* &c. (c) *Glossa.*

ventur ostendere se sacerdotibus; & si lepram habuerint, tunc à sacerdote immundi fiant: non quod sacerdotes leprosus faciant, & immundos; sed quod habeant notitiam leprosi, & non leprosi, & possint discernere qui mundus, qui ve immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum sacerdos immundum facit, sic & hic alligat, vel solvit Episcopus, vel presbyter, non eos qui insontes sunt, vel innocii; sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, qui solvendus. *Origenes*. Sic (3) ergo irreprensibilis qui alterum ligat, vel solvit, ut inveniatur dignus ligare, vel solvere in celo. Sed & ei qui poterit virtutibus portas obstruere inferorum, quasi præmium dantur claves regni caelorum: (4) omnis enim species virtutis, cum quis eam ceperit operari, quasi ipsa se aperit ante eum, Domino videlicet aperiente eam per gratiam suam, ut inveniatur eadem virtus & porta esse, & clavis portæ. Porritam autem & unaquæque virtus est regnum caelorum.

(d) *Origenes (e)* (tract. in Matth.) Postquam Petrus confessus est Christum Filium Dei vivi, quia noluit hoc eos interim prædicare, subdit: *Tunc præcepit discipulis suis ut nemini dicerent quia ipse esset Jesus Christus.* *Hieronymus* (super *Præcepit discipulis suis*.) Sed cum supra mittens discipulos ad prædicandum iusserit eis ut annuntiarent adventum suum, videtur esse contrarium quod hic præcipit ne se dicant esse Jesum Christum. Mihi videtur aliud esse Christum prædicare, aliud Jesum Christum. Et Christus commune dignitatis est nomen Jesus proprium vocabulum Salvatoris. *Origenes* (ubi supra à med.) Vel tunc leviter quidem de eo annuntiabant, quasi de magno, & mirabili viro; Christum autem esse eum nondum annunciabant. Qui autem vult etiam Christum eum prædicatum prius ab Apostolis, dicit, quoniam leviter præmittere voluit eos mentionem nominis sui, ut interim facto silentio prædicationis hujus, hoc ipsum quod leviter de Christo additum fuerat, digeratur in sensibus auditorum. Aut ita est solvenda quaestio, ut videantur ea quæ superius de annuntiando Christo sunt dicta, non ad tempus pertinere quod fuit ante Christi resurrectionem, sed ad tempora post futura. Hæc au-

autem quæ mandat, ut nemini dicant, tunc Apostolis convenire: inutile enim est ipsum quidem prædicare, crucem autem ejus tacere. Propterea præcepit eis ut nemini dicerent quia ipse est Christus, & præparabat eos, ut postmodum dicant, quoniam ipse est Christus, qui crucifixus est, & resurrexit à mortuis. *Hieronymus* (ubi supra.) Quod ne quis patet nostræ tantum esse intelligentia quod sequitur, ea alia tunc prohibita prædicationis exponit, sequitur enim: *Exinde cepit Jesus ostendere discipulis suis quia oporteret eum ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus, & scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & tertio die resurgere.* Est autem sensus: Tunc me prædicare cum ita passus fuero: quia non prodest Christum publice prædicari, & ejus vulgare in populis majestatem, quem post paululum flagellatum visuri sunt, & crucifixum. *Chrysostomus* (hom. 55.) Quod enim semel radicum est, & postea evulsum, si iterum plantetur, difficile retinebitur apud multos; quod autem infixum semel est, & mansit postea immobile, facile provehitur ad augmentum. Propter hoc autem immoratur tristibus prædicandis, & sermonem multiplicat, ut aperiat discipulorum mentes. *Origenes* (Matth. 16. tract. 1. à med.) Et vide quia non dixit, *Cœpit dicere, vel docere*; sed *ostendere*: quia sicut corporalia ostendi dicuntur, sic ostendi dicuntur à Christo ea quæ loquebatur. Non autem sic puto eis qui corporaliter eum multa patienter viderunt, ostensa fuisse ea quæ videbantur, quomodo discipulis ostensus est rationabilis sermo de mysterio passionis, & resurrectionis Christi: & tunc quidem cepit ostendere, consequenter autem postea capacioribus factis plenius demonstravit: quia omne quod cepit Jesus, hoc perfecit. Oportebat autem eum ire in Hierosalem, ut occidatur quidem in Hierosolymis, quæ sunt deorsum, regneret autem resurgens in Hierosalem caelesti. Postquam enim resurrexit Christus, & alii consurrexerunt ei, jam non deorsum quaeritur Hierosalem, vel domus orationis in ea, sed sursum. Patitur autem multa à senioribus Hierosalem terrene, ut glorificetur ab his qui capiunt beneficia ejus caelestibus senioribus. Tertia autem die resurrexit à mortuis, ut eripiens (1) maligno, acquirat eis qui liberati fuerint hoc donum, ut baptizentur spiritu, & anima, & corpore in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, qui sunt tres dies simul perpetuo instantes eis qui per eos facti fuerant filii lucis.

(e) *Origenes* (Matth. 16. tract. 1.) Adhuc

(1) *Al. à maligno.* (2) *Al. docens (item docens) Christus.* (3) *Al. & ostensionem.*

initia eorum quæ ostendebantur (2) dicente Christo, Petrus indigna hæc Filio Dei vivi arbitrabatur: & quasi oblitus quoniam Filius Dei vivi nihil dignum increpatione facit, aut agit, accepit increpare; & hoc est quod dicitur: *Et assumens eum Petrus cepit increpare illum.* *Hieronymus* (super *Assumens eum Petrus*). Sæpe diximus nimii ardoris, amorisque quam maximi fuisse Petrum in Dominum Salvatorem. Qui ergo post confessionem suam, & præmium Salvatoris quod audierat, non vult destitui confessionem suam; nec putat posse fieri ut Dei Filius occidatur, assumit eum in affectum suum: vel separatim ducit, ne præsentibus ceteris condiscipulis videatur magistru arguere; & cepit illum increpare amantis affectu, & obliatis dicere: *Asiste à te Domine.* Vel, ut melius habetur in Græco *Ieos si Kyrie, uni este si tuto*; hoc est, *propitijs sis tibi Domine, non erit tibi hoc*; quasi necessariam haberet propitiationem. Cujus affectum quidem suscipiens Christus, ignorantiam exprobat: unde sequitur: *Qui conversus dixit Petro: Vade post me Satana; scandalum mihi es.* *Hilarius* (can. 16. in Matth. prope finem.) Sciens enim Dominus diabolice artis instinctum, Petro ait: *Vade retro post me*, id est ut exemplum suæ passionis sequatur. In eum vero per quem opinio hæc suggereretur, conversus adjecit: *Satana, scandalum mihi es.* Non enim convenit existimare Petro satanae nomen, (3) & accusationem scandalum deputari, post indulta illa beatitudinis, & potestatis tanta præconia. *Hieronymus* (ut supra.) Sed mihi error apostolicus de pietatis affectu veniens, numquam incenivum videbitur diaboli. Prudens ergo lector consideret, Petro illam beatitudinem, ac potestatem in futuro promissam, non in presenti datam; quam si statim dedisset ei, numquam in eo pravæ confessionis error invenisset locum. *Chrysostomus* (hom. 55. par. ante med.) Quid etiam mirabile est hæc pati Petrum, quide his revelationem non susceperit? Ut enim dicas, quia neque illa quæ de Christo confessus fuerat, ex se locutus est, vide qualiter in his quæ non revelata sunt ei, turbationem patiatur humana enim & terrestri cogitatione, quæ sunt Christi considerans, restimabat turpe, & indignum esse ei quod pateretur. Et ideo Dominus subiecit: *Quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.* *Hieronymus* (ubi supra.) Quasi dicat: Meæ voluntatis est, & Patris, ut pro hominum salute moriar; ut tuam tantum considerans voluntatem, non vis granum tritici cadere in terram, ut multos afferat fructus; & ideo quia contraria loqueris

voluntati mee, debes adversarius appellari. Satanas enim interpretatur adversarius, sive contrarius. Non tamen, ut plerique putat, eadem satanas, & Petrus sententia condemnatur: Petro enim dicitur: *Vade retro m. satana*; id est, sequere me, qui contrarius es voluntati mee: ille audit, *Vade satana*; & non ei dicit *retro*, ut subaudiatur, *Vade in ignem aeternum*. *Origenes* (Matth. 16. tract. 1.) Dixit ergo Petro, *Vade post me*, quasi desistenti per ignorantiam ire post Christum. *Satana* autem dixit ei, quasi per ignorantiam aliquid habenti contrarium Deo. Beatus autem ad quem convertitur Christus, etiam si corripiendi causa convertitur. Sed quare dixit ad Petrum, *Scandalum mihi es*, cum in Psalmo 118. dicitur: „Pax multa es, diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum?“ Sed respondendum est, quoniam non solum Jesus in dilectione Dei perfectus est. Sed quantum ad se, qui tale aliquid vel agit, vel loquitur, scandalum est alteri; licet ille inscandalizabilis sit. Aut certe omnem discipulum peccantem scandalum sibi appellat, sicut & Paulus dicebat 2. Corinth. 11. „Quis scandalizatur, & ego non uor?“

(f) *Chrysostramus* (homil. 56.) Postquam Petrus dixerat, *Propitius esto tibi: nequaquam erit tibi hoc*; & audivit, *Vade retro me Satana*: non fuit Dominus hac solum increpatione contentus, sed ex superabundantia voluit ostendere inconvenientiam dictorum à Petro, & fructum suae passionis: unde subditur: *Tunc Jesus dixit discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*; quasi dicat: Tu dicis mihi, *Propitius esto tibi*; ego autem dico tibi, quoniam non solum me prohibere à passione nocivum tibi est, sed neque salvari poteris, nisi patiaris, & moriaris, & vitæ abrenunties semper. Et vide quia non coactivum facit sermonem: non enim dixit: (1) si nolueritis, oportet vos hoc pati; sed *Si quis vult*. Hoc autem dicens magis attrahat: qui enim libertati auditorem dimittit, magis attrahit; qui vero violentiam infert, multoties impedit. Non autem solis discipulis (2) fuis, sed commune hoc dogma orbis terrarum proponit, dicens, *Si quis vult*, id est, si mulier, si vir, si Rex, si liber, si servus. Tria autem sunt quæ dicuntur: *Abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*. *Gregorius* in homil. (32. in Evang.) Quia nisi quis à semetipso desiciat, ad eum qui super ipsum est, non appropinquat. Sed si nos ipsos relinqui-

(1) *Al. volueritis.* (2) *Al. omittitur suis.*

EX EDIT. P. NICOL. (a) Tract. 2. in Matth. 16.

mas, quo ibimus extra nos? Vel quis est qui vadit, si se deseruit? Sed aliud sumus per peccatum lapsi, aliud per naturam conditi. Tunc ergo nosmetipsos relinimus, & abnegamus, cum vitamus quod per vesutatem vocamur. *Gregorius* super Ezech. (homil. 19. à principio.) Semetipsum etiam abnegat quicumque mutatur ad meliora, & incipit esse quod non erat, & desinit esse quod erat. *Gregorius* 23. Moral. (super illud Job 49. „Absorbebit fluvium“ cap. 6. in nov. exem.) Semetipsum etiam abnegat qui calcato typo superbæ, ante Dei oculos se esse à se alienum demonstrat. *Origenes* (a) Quamvis autem videatur aliquis à peccato abstinere, tamen nisi in crucem Christi crediderit, non potest dici Christo confixus sive cruci: unde sequitur: *Et tollat crucem suam*. *Chrysostramus* (homil. 56.) Vel aliter. Qui negat alium, vel fratrem, vel famulum, vel quemcumque, & si flagellatum viderit, & quodcumque patientem, non assiluit, non adjuvat ita vult corpori nostro nos non ignoscere, ut si flagellaverint, vel quodcumque aliud fecerint, corpori non parcamus. Hoc enim est parcere, sicut patres tunc ignoscunt filiis, cum magistris eos tradentes, iusserint ut non parcant. Ne autem æstimes quod usque ad verba tantum, & contumelias oportet abnegare seipsum, ostendit usque ad quantum abnegare seipsum oporteat, quia usque ad mortem, etiam turpissimam, scilicet crucis; quod significat in hoc quod dicit: *Et tollat crucem suam, & sequatur me*. *Hilarius* (can. 16. in Matth.) Sequendus enim est Dominus, cruce assumpta passionis suæ; & si non forte, tamen voluntate comitandus est. *Chrysostramus* (ut supra.) Quia etiam latrones multa gravia patiuntur, ut non æstimes quod passio malorum sufficiat, adjungit causam patiendi, cum dicit, *Et sequatur me*, ut propter eum omnia sustineas, & alias ejus virtutes addiscas: hoc est enim sequi Christum ut oportet, diligenter esse circa virtutes, & pati omnia propter ipsum. *Gregorius* (hom. 32. in Evang.) Duobus etiam modis crux tollitur: cum aut per abstinentiam assiligitur animus. Sed quia ipsi virtutibus quædam vitia mixta sunt, dicendum nobis est, quod abstinentiam carnis nonnumquam vana gloria obsidet; quia dum tenuitas in corpore, dum pallor in vultu respicitur, virtus patefacta laudatur, Compassionem vero animi plerumque latenter obsidet pietas falsa, ut hanc non-

nonnumquam usque ad condescendendum vitis pertrahat: unde ad hæc excludenda, subdit, *Et sequatur me*. *Hieronymus* (super *Tunc Jesus dixit discipulis*.) Vel aliter. Tollit crucem suam qui mundo crucifigitur; cui autem mundus crucifixus est, sequitur Dominum crucifixum. *Chrysostramus* (hom. 56. in Matth.) Deinde, quia grave videbatur quod dictum est, per ea quæ consequuntur, id mitigat, præmia ponens supermerentia laboribus, & malitiæ poenas: unde sequitur: *Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam*. *Origenes* (tract. 2. in Matth. cap. 16.) Quod dupliciter potest intelligi. Primum sic. Si quis amator vitæ præsentis, parcat animæ suæ, timens mori, & putans animam suam per hanc mortem perire: iste volens hoc modo salvare animam suam, perdet eam, alienam illam faciens à vitæ æterna. Si quis contemnens vitam præsentem, usque ad mortem pro veritate certaverit, perdet quidem animam suam quantum ad vitam præsentem; sed quoniam propter Christum perdet eam, magis eam salvam faciet in vitam æternam. Alio modo sic. Si quis intelligit quæ est vera salus, & acquirere vult eam ad salutem animæ suæ, iste abnegans semetipsum, perdit quantum ad voluptates carnales animam suam propter Christum, & perdens animam suam hoc modo, salvat eam per opera pietatis: dicendo enim, *Qui voluerit*, præcedentem, & sequentem unum sensum esse ostendit. Si ergo quod superius dixit: *Abneget semetipsum*, de morte corporali dixit, consequenter hoc de sola morte intelligere debemus dictum esse. Si autem abnegare seipsum est carnalem conversationem rejicere, & perdere animam est deponere voluptates carnales.

(g) *Chrysostramus* (homil. 56.) Quia dixerat, *Qui vult salvare, perdet, & Qui perdet, salvabit*; utrobique salutem, & perditionem ponens; ne aliquis æstimet æqualem esse hinc inde perditionem, & salutem, subjungit: *Quid enim prodest homini: si mundum, universum lucratur, animæ vero suæ, detrimentum patiatur?* quasi dicat: Ne dicas, quod qui pericula quæ propter Christum imminet, effugit, salvet animam suam, id est vitam temporalem. Sed pone etiam cum anima, id est vita temporali, totum orbem terrarum; quid ex his homini erit amplius anima in perpetuum pereunte? Si enim famulos tuos videres in lætitia, te autem in malis ultimis constitutum; quid lucraberis ex eorum dominio? Hoc etiam in anima tua reputa, cum carne lasciviente ipsa futuram perditionem expectat, *Origenes* (ut supra.) Puto etiam

S. Thm. Op. Tom. VIII.

(1) *Al. majus.* (2) *Al. alternitatem.*

quod mundum lucratur qui non abnegat semetipsum, nec perdit animam suam quantum ad voluptates carnales, & ipse facit animæ suæ detrimentum; ideo duobus nobis propositis, (1) magis est eligendum ut mundum perdamus & lucremur animas nostras. *Chrysostramus* (ut supra.) Sed si regnaveris super universum orbem terrarum, non poteris animam tuam emere: unde sequitur: *Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* ac si dicat: Divitias si perdidideris, poteris dare divitias alias ad eas redimendas; animam autem perdens, non poteris animam aliquam dare, sed neque aliquid aliud. Quid autem mirabile est, si in anima hoc contingit: etenim in corpore hoc videtur contingere? Etsi enim decem millia demata corpori insanabiliter ægro circumposueris, non curatur. *Origenes* (ubi supra.) Et prima quidem facie commutatio animæ est in substantia, ut det substantiam suam homo pauperibus, & salvet animam suam. Sed puto quod non habet aliquid homo quod dans quasi commutationem animæ suæ liberet eam de morte. Deus autem pro animabus hominum dedit commutationem pretiosam sanguinem Filii sui. *Gregorius* (hom. 32. in Evang.) Vel aliter potest continuari: quia sancta Ecclesia aliud habet tempus persecutionis, & aliud pacis; Redemptor noster ipsa ejus tempora distinguit in præceptis: nam persecutionis tempore ponenda est anima; pacis autem tempore ea quæ amplius dominari possunt, frangenda sunt desideria terrena: unde dicitur: *Quid enim prodest homini?* *Hieronymus* (super *Filius hominis venturus est*.) Provocatis autem discipulis ut abnegarent se, & tollerent crucem suam, grandis fit terror audientium. Idcirco tristibus læta succedunt; & dicit: *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis*. Times mortem? Audi gloriam triumphantis. Vereris crucem? Ausculta Angelorum ministeria. *Origenes* (tract. 2. in Matth. cap. 16.) Quasi dicat: Nunc quidem Filius hominis venit, sed non in gloria, non enim decebat eum in gloria constitutum peccata nostra portare; sed tunc veniet in gloria cum ante præparaverit discipulos suos, factus sicut illi, ut illos faceret, sicut & ipse, conformes gloriæ suæ. *Chrysostramus* (homilia. 54.) Non autem dixi in tali gloria in quali est Pater, ne (2) alteritatem gloriæ suspiceris; sed ait, *Gloria Patris*, ut eadem gloria ostendatur. Si autem gloria una est, manifestum quod & substantia una est. Quid ergo times, Petre, mortem audiens? Tunc me videbis in gloria. Si autem ego in gloria, & vos. Sed tamen dicens gloriam, terribi-

lia immiscuit in medium iudicium introducens: unde sequitur: *Et tunc reddet unicuique secundum opera eius.* Hieronymus (prope finem Comm. in 16. cap. Matth.) Non est enim distinctio Judæi & Gentilis, viri & mulieris, pauperum & divitum, ubi non personæ, sed opera considerantur. *Chrysostomus* (ut supra.) Hoc autem dixit, non solum peccatoribus penas commemorans, sed iustis bravia, & coronas. *Hieronymus.* Poterat autem Apostolorum tacita cogitatio illiusmodi scandalum sustinere. Occisionem, & mortem nunc dicit esse futuram; quod autem promittit re aserturum in gloria, in tempora longa differatur. Prævidens ergo occultorum cognitor quid possent objicere, præsentem timorem præsentis compenlat præmio, dicens: *Amen dico vobis. Sicut quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec veniat Filius hominis in regno suo: Chrysostomus* (hom. 57.) Volens ergo monstrare quid est illa gloria in qua postea venturus est, eis in præsentia vita revelavit, sicut possibile erat eos discere, ut neque in Domini morte jam doleant. *Remigius.* Quod ergo hic dicitur, impletum est in tribus discipulis, quibus Dominus transfiguratus in monte, gaudia æternæ reprobationis ostendit; qui viderunt eum in regno suo venientem, idest in ea claritate fulgentem in qua, peracto iudicio, videbitur ab omnibus sanctis. *Chrysostomus* (ubi supra.) Propter hoc autem non prædicit nomina eorum qui ascensuri erant in montem, quia reliqui valde concupiscerent sequi, exemplum illius gloriæ visuri, & graviter tulissent velut despecti. *Gregorius* (hom. 32. in Evang.) Vel regnum Dei, præsens Ecclesia vocatur: & quia nonnulli ex discipulis eius usque adeo in corpore victuri erant ut Ecclesiam Dei constructam conspicerent, & contra huius mundi gloriam erectam,

(1) *Al.* videns.

C A P U T X V I I .

(a) **E**T post dies sex assumpsit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos: & respicere facies ejus sicut sol; vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix; & ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias cum eo loquentes. Respondens autem Petrus dixit ad Jesum: Domine, bonum est nos hic esse. Si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum: Moyse unum, & Eliæ unum.

(b) Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos: & ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde; & accessit Jesus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite, & nolite timere. Levantes autem oculos suos, neminem viderunt nisi solum Jesum. Et descendentibus illis de monte præcepit illis Jesus, dicens: Nemini dixeritis visionem hanc, donec Filius hominis a mortuis resurgat.

(c) Et interrogaverunt eum discipuli ejus: dicentes: Quid ergo scribæ dicunt, quod Eliam

consolatoria promissione nunc dicitur: *Sunt quidam de hic stantibus.* Origenes (tract. 3. in cap. 16. Matth. cir. finem) Moraliter autem Verbum Dei his qui noviter inducuntur ad fidem, formam habet servi, perfectis autem venit in gloria Patris sui. Angeli autem illius sunt Prophetarum sermones, quos non est possibile ante spiritualiter intelligere nisi cum spiritualiter intellectum fuerit verbum Christi, ut videantur simul apparere in majestate. Tunc autem dabit unicuique de gloria sua secundum actum ejus quia quanto quis melior fuerit in actibus suis, tanto spiritualiter intelligit Christum, vel Prophetas ipsius. Stantes autem, ubi stat Jesus, sunt qui fundatas habent apud Jesum animæ bases: ex quibus qui melius stant, dicuntur non gustare mortem, donec videant Verbum Dei; quod venit in regno suo, (1) videntes eminentiam Dei, quam videre non possunt qui diversis involuti sunt peccatis; quod est mortem gustare, qua peccans anima moritur. Sicut enim vita est, & panis vivus qui de caelo descendit, sic & inimica ejus mors panis est mortuus. Ex istis autem panibus quidam modicum manducant, tantum gustantes; quidam autem abundantius; qui enim raro, & modicum peccant, tantummodo gustant mortem; quia autem perfectius susceperint spiritualem virtutem, non gustant eam, sed vivo pane semper vescuntur. Quod autem dicit, *Donec videant non distinctum tempus, ut postquam transferit illud donec, fiat quod ante non fuerat factum; sed rem quæ necessaria est, exponit: qui enim semel videt eum in gloria ejus, jam nequaquam gustabit mortem.* *Rabbanus.* Sanctos autem mortem gustare testatur, a quibus mors corporis quasi libando gustatur, vita vero animæ possidendo tenetur.

I E C A P U T X V I I .

Eliam oporteat primo venire? At ille respondens, ait eis: Elias quidem venturus est, & restituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum; sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic & Filius hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt discipuli quia de Joanne Baptista dixisset eis.

(d) Et cum venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum, dicens: Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, & male patitur, nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam. Er obtuli eum discipulis tuis; & non potuerunt curare eum. Respondens autem Jesus, ait: O generatio incredula, & perversa, quousque ero vobiscum? Usquequo patiar vos? Afferte huc illum ad me. Et increpavit illum Jesus; & exiit ab eo demonium, & curatus est puer ex illa hora.

(e) Tunc accesserunt discipuli ejus ad Jesum secreto, & dixerunt: Quare nos non potuimus eicere illum? Dixit illis Jesus: Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum synapis, dicitis monti huic, Transi hinc illuc: & transibit; & nihil impossibile erit vobis. Hoc autem genus non eicitur nisi per orationem, & jejuniū.

(f) Conversantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Jesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum; & occidetur eum, & tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer.

(g) Et cum venisset Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma? Ait, Etiam: & cum intrasset in domum, prævenit eum Jesus dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum, vel censum; a filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit, Ab alienis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hammum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore ejus inveniens staterem: illum sumens, da eis pro me, & te.

(a) **R**emigius. Claritatem suæ visionis, quam promiserat Dominus discipulis suis, in hac transfiguratione habita in monte post sex dies complevit: unde dicitur: *Et post sex dies assumpsit Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus.* Hieronymus (in Comm. super 17. cap. Matth.) Queritur autem quomodo post sex dies assumpsit eos, cum Lucas Evangelista octonarium numerum ponat. Sed facilis est responsio: quia hic medii ponuntur dies, ibi primus additur, & extremus. *Chrysostomus* (hom. 57.) Ideo autem non confessam facta promissione eos sursum ducit, sed post sex dies, ut reliqui discipuli nihil patiantur humanum, idest aliquem invidiæ motum; vel ut horum dierum spatio vehementiori concupiscentia repleti, qui assuendi erant, sollicita mente accederent. *Rabbanus.* Merito autem post sex dies gloriam illam ostendit, quia post sex ætates futura est resurrectio. *Origenes.* Vel quia in sex diebus (1) totus factus est visibilis mundus; qui transcendit omnes res mundi, potest ascendere super montem excelsum, & gloriam aspicere Verbi Dei. *Chrysostomus* (hom. 57.) Ideo autem hos tres assumpsit, quoniam alii potiores erant. Intende autem qualiter Mattheus non occultat eos qui sibi præpositi sunt: hoc enim & Joannes facit, præcipuas Petri laudes commemorans. Ab æmulatione enim, & vana gloria mundus fuit Aposto-

lorum chorus. *Hilarius* (can. 17. in Matth.) In tribus autem assumptis, de trium origine, Sem, Cam, & Japhet, futura electio populi ostenditur. *Rabbanus* (hoc loco.) Vel tres solummodo discipulos secum ducit: quia multi sunt vocati, pauci vero electi: Vel (2) quia qui nunc fidem Sanctæ Trinitatis incorrupte servant, tunc æterna ejus visione lætantur. *Remigius.* Ostensus autem Dominus gloriam suæ claritatis discipulis, duxit eos in montem: unde sequitur: *Et duxit illos in montem excelsum seorsum:* in quo docet quia necesse est omnibus qui Deum contemplari desiderant, ut non in infimis voluptatibus jaceant, sed amore superiorum semper ad cælestia erigantur; & ut ostendat discipulis quatenus gloriam divinæ claritatis non in hujus sæculi profundo quærant, sed in cælestis beatitudinis regno. Ducuntur autem seorsum, quia sancti viri toto animo, & fidei intentione separati sunt a malis, funditusque separantur in futuro: vel quia multi vocati, pauci vero electi.

Sequitur: *Et transfiguratus est ante eos.* Hieronymus (super *Et transfiguratus est.*) Qualis enim futurus est tempore judicandi, talis Apostolis apparuit. Nemo autem putet pristinam eum formam, & faciem perdidisse, vel amisisse corporis veritatem, & assumpsisse corpus spirituale, vel æreum; sed quomodo transfiguratum sit, Evangelista demonstrans dicit: *Et resplens*

(1) *Al.* totus perfecti numeri factus est &c., (2) *Al.* omittitur quia,